

qui cedunt annis singulis de domo Gotfridi quam praedictus Rudigerus comparavit, anniversario Heinrici patris et Itae matris eiusdem Rudigeri passim die quo priori et conventui placuerit deservient in consolatione conventus secundum prioris arbitrium convertendi. Et sciendum quod praescripta altera dimidia marca et decem solidi priori annis singulis praesentari debeant sine nostra et successorum nostrorum contradictione in conventus necessitates et utilitates iugiter expendendi. Si vero nos quod absit vel quisquam successorum nostrorum contrarium huic ordinationi attemptaverit, ab ingressu ecclesiae sit suspensus donec ad cor rediens ordinationem per nos factam studeat humiliter observare. Et ut haec praemissa in eo statu quo tractata sunt maneant inconvulsa, praesentem litteram super his conscriptam sigillis nostris sigillavimus et sigillo reverendi in Christo patris ac domini H. Mersburgensis ecclesiae episcopi pro confirmatione praemissorum et pro sempiterno munimine procuravimus sigillari. Acta sunt haec anno domini M° CCC° XI° VI. Idus Octobris. Testes huius facti sunt dominus Heinricus de Zweme praepositus summus in Misne, magister Th. de Limbach, dominus Al. praepositus sanctimonialium sanctae Crucis prope Misne, dominus Con. praepositus sanctae Affrae ibidem, dominus Con. plebanus in Engillistorf, dominus Johannes viceplebanus in Sommerveld, cives quoque Lipzenses Rulo de Berngershain magister consulum, Nicolaus de Grimmis, Johannes de Yleburg et alii fide digni.

Nach dem Registrum copiarum fol. 58^b im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. — Liber copiarum fol. 63 im Rathsarchiv zu Leipzig.

No. 81. 1312. 31. Juli.

Markgraf Woldemar von Brandenburg und Landsberg bestätigt für sich und in Vormundschaft des Markgrafen Johann dem Kloster eine jährliche Rente von 15 Mark aus der Münze zu Leipzig (vgl. No. 42), welche demselben durch Markgraf Friedrich von Meissen eine Zeit lang ohne Rechtsgrund entzogen worden war.

Woldemarus dei gratia Brandenburgensis insuper et de Landesberg marchio tutorque incliti Johannis marchionis Brandenburgensis omnibus ad quos praesens scriptum devenerit salutem et desiderium omnis boni. Visis et intellectis ac plene cognitis instrumentis, quae religiosus vir .. praepositus .. totusque conventus monasterii sancti Thomae in Lypezek super quindecim marcis argenti usualis habent perpetuo ipsis de moneta Lypezek dandis, comperimus non viciata eadem in aliqua sui parte, quae quidem pecunia a praedictis Christi personis per illustris domini Frederici marchionis Mynsensis nostri patruum mandatum aliquamdiu eliminata dinoscitur. Nos igitur instrumenta praedicta ipsis rite concessa approbando confirmamus et confirmata approbamus canonice in his scriptis, mittentes ipsum .. praepositum et conventum nostro et praedicti domini Johannis marchionis Brandenburgensis nostri sororii nomine in possessionem praedictae pecuniae corporaliter in his scriptis, a qua scilicet possessione deiectione contra iustitiam noscebantur. In cuius rei evidentiam firmiorem sigillum nostrum praesentibus est appensum. Actum et datum Lypezk